

natos suos traducendi absque Impedimento vel Molestatione NOSTRI Hæredum vel Successorum nostrorum vel aliquorum Officiariorum nostrorum Hæredum vel Successorum nostrorum (Salvis NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris Impositionibus Subsidiis Custumis et aliis pro eisdem Rebus et Merchandizis debitis et solubilibus) plenam Tenore Præsentium Licentiam damus et concedimus aliquo Statuto Actu Ordinatione aut aliâ Re quâcunque in contrarium non obstante.

XII. QUIA verò in tam longinquâ Regione inter tot barbaras Nationes positâ tam ipsorum Barbarorum quam aliorum Hostium Piratarum et Prædonum Incurfus verisimiliter timeri poterint IDCIRCO præfato modo Baroni de *BALTIMORE* ac Hæredibus et Assignatis suis per se vel per Capitaneos aut alios Officiarios suos omnes Homines cujuscunque Conditionis aut undecunque oriundos in dictâ Provinciâ de *TERRA MARIÆ* pro Tempore existentes ad Vexilla vocandi Delectus habendi Bella gerendi Hostesque et Prædones prædictos Partes illas infestantes Terrâ Marique etiam ultra PROVINCIÆ suæ Limites prosequendi eosque (si DEUS dederit) profligandi et capiendi et captos Jure Belli occidendi vel pro Arbitrio suo servandi cæteraque omnia et singula quæ ad Capitanei Generalis Exercitûs Jus et Officium spectant seu spectare consueverint faciendi adeo plenam et liberam ac quivis Capitaneus Generalis exercitûs unquam habuit dedimus ac pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris damus Potestatem per Præsentes.

XIII. VOLUMUS etiam et per hanc CHARTAM nostram præfato modo Baroni de *BALTIMORE* et Hæredibus et Assignatis suis Potestatem Libertatem et Authoritatem damus ut in Casu Rebellionis repentini Tumultûs aut Seditionis si quæ (quod absit) sive super Terrâ infra PROVINCIAM prædictam sive super alto Mari Itinere ad dictam PROVINCIAM de *Terrâ Mariæ* faciendo vel inde redeundo oriri contingeret per se vel Capitaneos Deputatos aut alios Officiarios suos sub Sigillis suis ad hoc deputandos Quibus etiam NOS pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris plenissimam per Præsentes Potestatem et Authoritatem damus et concedimus adversus Rerum novarum Partium illarum Authores seditiosos Regimini ILLIUS vel ILLORUM se subtrahentes Militiam detrectantes Transfugas Emansores Desertores vel aliter utcunque contra Rem Morem et Disciplinam militarem delinquentes Jure utantur Militari adeo liberè et in tam amplis Modo et Formâ prout aliquis Capitaneus Generalis Exercitûs Virtute Officii sui eo uti possit aut consuevit.

XIV. PORRO ne Viris honestè natis et se ad præsentem Expeditionem accincturis ac bene de NOBIS et Regnis nostris Pace et Bello mereri cupientibus in tam remotâ longèque distitâ Regione omnis ad Honores et Dignitates Via præclusa et penitus obsepta esse videatur PROPTEREA NOS pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris præfato modo Baroni de *BALTIMORE* et Hæredibus et Assignatis suis liberam et plenariam Potestatem damus Favores Gratias et Honores in benemeritos Cives infra PROVINCIAM prædictam inhabitantes conferendi Eosque quibuscunque Titulis et Dignitatibus (modo tales non fuerint quæ in *Angliâ* nunc sunt in Usu) pro Arbitrio suo decorandi Villas item in BURGOS et Burgos in CIVITATES ad Inhabitantium Merita et Locorum Opportunitates cum Privilegiis et Immunitatibus congruis erigendi et incorporandi Cæteraque omnia et singula in Præmissis faciendi quæ illi vel illis congrua et opportuna esse videbuntur Etiam si talia fuerint quæ de suâ Naturâ Mandatum et Warrantum exigant magis speciale quam in Præsentibus sit expressum.